



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Nostra sententia ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quaest. VIII. Vtrum relatio sit modus, &c. 823

essentiali perfectione etiam auctores, cum quibus disputamus, supponunt: illa ergo perfectio ex solis relationibus, ut sic consurgit: ergo relatio tantum debet concipi, & non mixta, & praeterea licet demus esse simul absolutam, & respectivam, cum includat in se tres relationes realiter distinctas, non potest habere unitatem perfectionis, nisi per modum collectionis, & numeri, esto non sit per modum compositionis. Probatur assumptum, quia in illa perfectione includitur verus transcendentalis numerus rerum; ex numero autem rerum distinctarum, ut tales sunt non conficitur unum, nisi vel compositione, vel collectione, vel omnino per accidens; dico autem ut tales sunt, quia persona divina ut sunt unum in essentia, non uniuntur in perfectione personali, sed in essentiali tantum. Absurdum autem videtur dicere, integritatem Dei ut sic collectivam esse, & non omnino simplicem, & indivisam. Accedit tandem quod illa integritas dicitur esse perfectio simpliciter simplex: unde sequitur, cuilibet personae divinae sigillatim sumptae deesse aliquam perfectionem simpliciter simplicem, quia nulla earum habet illam integritatem: nulla ergo illarum erit summe perfecta.

69 Tandem videtur, quia multiplicato gradu inferiori, debet multiplicari gradus superior: sed in tribus relationibus multiplicatur realiter ratio relativa, quae est inferior respectu entis ut sic: ergo multiplicatur in talibus relationibus ratio entis ut sic; sed non potest multiplicari gradus entis, quin multiplicetur attributum illius: atqui attributum entis est bonitas: ergo in tribus relationibus multiplicatur bonitas, ac proinde tres relationes erunt tres bonitates, & perfectiones.



QUESTIO VIII.

Vtrum relatio sit modus, vel res.

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur, & probatur.

1 **H**ae quaestio maxime difficilis ab aliquibus iudicatur, & ideo longissime de illa agunt; nos autem brevissime tractabimus difficultatem illius, quia ex supradictis, & postea dicendis facile colligitur explicatio illius, circa quam est prima sententia asserens, relationem praedicamentalem nequaquam esse modum, sed potius rem simpliciter, eo modo, quo quantitas, & qualitas est res; eam tenet Sanchez in *dialectica* lib. 5. *quest.* 38. 2. *conclusionem*, probat suam sententiam.

2 Primo auctoritate Divi Thomae p. 1. q. 28. *art.* 2. ad 2. ubi sic dicitur: ad secundum dicendum quod sicut in rebus creatis in illo quod dicitur relative, non solum est invenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum, ita in Deo; sed tamen aliter, & aliter; nam id quod invenitur in creatura praeter id quod continetur sub significatione nominis relativi est alia res, in Deo autem non est alia res, sed una, & eadem, ubi Divus Thomas dicit quod relativum, & absolutum sunt alia, & alia

res: ergo dicit quod sunt realiter distincta ut res distinguitur a re.

Secundo istae relationes creatae sunt accidentia essentialiter, quia ponuntur in praedicamento relationis, quod est praedicamentum accidentium relativorum, sed proprium accidentium est inesse: ergo haec accidentia relativa in sunt substantiis: ergo realiter tanquam res a re ab illis distinguuntur. Probatur consequentia, quia in esse accidentis, seu in existentia accidentis realiter distinguitur ab existentia substantiae, ut patet in Sacramento Eucharistiae, ubi manent accidentia in sua existentia, & non manet existentia substantiae vlllo modo.

Tertio essentia relationis est distincta ab essentia fundamenti: ergo inherencia accidentis relativi est distincta ab inherencia actuali accidentis absoluti, quia essentia correspondet existentiae, ut potentia proprio actui, & sicut potentiae sunt distinctae, & actus: ergo distinguuntur tanquam res a re; siquidem habent proprias essentias, & existentias realiter distinctas.

SECTIO II.

Nostri sententia ostenditur.

Conclusio: relatio creata est modus, & non res absoluta. Haec est communis inter Doctores, & expressa sententia Divi Thomae pluribus suis Doctrinae locis, ubi relationem modum asserit esse.

6 Probatur primo, quia modus, ut modus nullam habet potentialitatem respectu sui effectus formalis, & res potest habere saltem per potentiam Dei absolutam potentialitatem respectu illius, quia res v.g. quantitas in Eucharistia separatur ab omni subiecto, unde nullum tribuit effectum actu, sed solum in potentia: sed relatio nullam habet potentialitatem in reddendo suum effectum formalem adhuc Divinitus: ergo relatio ut relatio non est res, sed modus. Maior latissime probata manet in *metaphys.* *disp.* 1. *proo.* *quest.* ult. *concl.* 2. & *disp.* de *subst.* *quest.* *vtrum illa sit modus, vel res.* Minor sic probatur quia relatio est habitudo, seu respectus unius ad aliud essentialiter: ergo essentialiter petit ut sit inter unum, & alterum, ita ut nullo modo possit nec esse, nec intelligi sine uno, & altero inter quae sit, (quod adeo verum est, ut omnino impossibile iudicetur, omnibusque etiam adversariis dari paternitatem actualement in generante possibilem respectu possibili termini, quia necessario petit relatio actualis fundamentum actuale, & terminum actuale) sed alterum est terminus extrinsecus ad quem terminatur relatio, unum autem est fundamentum illius: sed fundamentum relationis est in quo intrinsece est relatio, & quod intrinsece afficit illa: ergo relatio actu existens non potest adhuc Divinitus esse sine actuali afficientia intrinseca unius extremi, quod est fundamentum: atqui impossibile est quod actu afficiat aliqua forma subiectum, sine eo quod actu tribuat suum effectum formalem: ergo impossibile est, ut relatio actu existens tribuat in potentia effectum formalem; sed necessario adhuc Divinitus actu illud tribuit, actuque constituit relatum ad terminum, & non in potentia, nam res non constituitur apta referri per relationem ut sic,

K k k k 3 sed

sed per fundamentum proximum relationi, proprius autem effectus formalis relationis est actu referre, alias nec requireret coexistentiam termini, nec vere diceretur totum esse eius possum esse in respectu ad aliud: sed hoc est habere nullam potentialitatem respectu sui effectus formalis: ergo relatio nullam potentialitatem habet respectu illius: ergo est modus, & non res.

7 Quod autem adhuc per potentiam Dei absolutam non possit dari relatio sine subiecto quod actu afficiat, adeo verum est ut ipse Sanchez adversarius nostræ sententiæ his verbis asserat. Quod si inquiras an Deus possit conservare relationem sine subiecto, Respondeo impossibile esse conservari relationem per se sine eo quod sit in subiecto.

8 Dico autem Tertio, sic ait Sanchez, non potest poni relatio in rerum natura, quin faciat aliquod esse actu relativum, id est referri actualiter ad aliud, & probat sic, quia impossibile est poni relationem in subiecto, quin habeat suum effectum formalem: sed relatio non habet alium effectum formalem nisi constituere relativum: ergo. Maior probatur, quia ex informatione formæ, & subiecto, resultat aliquod esse, & erit hoc quod est esse relativum, nam aliud fingi non potest ex se, verba Sanchez in sua *Logica libro quinto 4. præ. quest. 33. conclus. 3. & 5. & si inquiras*, ubi manifeste ait, adhuc divinitus non posse esse relationem, sine eo quod actu sit in subiecto, & respectu cuius tribuat suum effectum formalem actu, & non in potentia: ergo ex sententiâ, & verbis Sanchez, relatio actu existens nullam habet potentialitatem respectu sui effectus formalis: ergo est modus, & non res.

9 Deinde vrgeo, nam ipse Sanchez §. *& si inquiras an Deus, &c.* sic ait impossibile esse conservari relationem, sine eo quod sit in subiecto, quia individuatur penes hoc subiectum.

10 Sed contra, quia quantitas panis consecrati individuatur à substantia panis, quia tu asseris omne accidens individuari à subiecto, sed licet individuatur ab illa, conservatur in Eucharistia sine tali subiecto: ergo non ideo præcise relatio non potest esse sine subiecto, quia individuatur, alias quantitas illa non posset esse sine substantia panis; unde aut contradicit sibi Sanchez, nullumque est argumentum illius ad hoc ut vim ingerat insuperabilem suo argumento, debet addere relationem individuari ut modum à subiecto, cuius definitio petit, quia modus est ut non sit vlllo modo extra subiectum.

11 Deinde asserit §. *& si inquiras quare relatio non potest separari à subiecto, & fundamento*, Responderetur quia pender necessario ab illis.

12 Contra, quia etiam quantitas dependet necessario à substantia panis, & quia dependet ut res, & accidens reale potest Deus separare illud, ut de facto separari à substantia panis: ergo licet relatio dependeat necessario à fundamento si dependet ut res, & non ut modus, poterit esse separata à fundamento divinitus: ergo si non potest separari est quia relatio dependet ut modus, & non ut res, alias nulla erit ratio Sanchez, quia probat relationem Divinitus non posse separari à fundamento: ergo talis relatio est modus.

Secundo, quia Relatio implicat esse, ut intelligi sine termino, quia necessario est ordo ad aliud, sed similiter est ordo subiecti: ergo similiter non potest esse sine subiecto. Minor est evidens, nam relatio est ordo fundamenti ad terminum: ergo est modus; pater hæc consequentia, quia modus in hoc distinguitur à forma reali, quia illa potest saltem divinitus esse sine subiecto, modus autem minime, ut videre est in Sacramento Eucharistiæ, ubi accidentia separantur à subiecto, quia sunt res: sed relatio non potest separari à subiecto: ergo est modus, & non res.

Confirmatur, quia sicut se habet figura respectu quantitatis, & ubi respectu præteriti, & sicut respectu corporis, & actio respectu termini, ita se habet relatio respectu subiecti, nam sicut non potest esse nec intelligi actio sine termino producto, sic non potest esse, nec intelligi relatio, & ordo sine fundamento ordinato, & relatio ad terminum: sed figura, ubi, actio propter illam connexionem, & dependentiam sunt modus: ergo similiter relatio erit modus propter eandem rationem.

Amplius declaro hoc, demus separari divinitus relationem à fundamento: ergo datur habitudo, & respectus: sed omnis habitudo est inter duo, alias essentia, & definitio. relationis non esset, nec verificaretur itante relatione, quod est absurdum, cum res non possit esse sine sua definitione, & essentia: sed de finitio relationis est habitudo duorum vel unius ad aliud: ergo daturur unum, & aliud, de quibus interrogo, an essent intrinseca relationi, vel unum esse intrinsecum respectu illius, & alterum nempe terminus, esse extrinsecum, vel an omnia essent extrinseca relationi. Hoc ultimum non potest dici, nam respectu relationis solum terminus est extrinsecus, fundamentum autem non potest esse terminus: ergo fundamentum non est extrinsecum relationi, nam fundamentum est quod refertur ad terminum extrinsecum; sed id quod refertur non potest esse extrinsecum respectu relationis, nec respectu illius potest esse extrinseca relatio ut supra probatum manet, nam si relatio non potest dari, nec intelligi sine duobus extremis, etiam non potest intelligi, sine eo quod sit ordo unius referendo illud, & constituendo illud in ordine ad aliud; sed id quod per relationem constituitur est intrinsecum, sicut id ad quod constituitur est extrinsecum, ut vidimus quæstionibus præcedentibus: ergo ambo extrema non sunt extrinseca. Item nec potest dici quod relatio sit intrinseca respectu utriusque extremi, cum terminus, qui est unum extremum non afficiatur nec possit affici relatione, solum enim est terminus ordinationis relationis, & tendentia illius, sicut paries est terminus tendentia visionis: sed respectu termini tendentia non est intrinseca, ut patet non est intrinseca visio; ergo respectu termini non est intrinseca relatio: ergo relatio non potest esse intrinseca ad utrumque extremum: ergo necessario dicendum est esse extrinsecam respectu unius, & extrinsecam respectu alterius: sed forma quæ est intrinseca respectu subiecti, est unitas intrinsece illi, & quod est intrinsece unitum non est separatum ab illo, ut videre est in animali rationali respectu corporis: ergo adhuc per potentiam Dei absolutam non potest

potest separari relatio, ita vt maneat sine subiecto: ergo non est res; sed modus, quia nullum praedicatum reperitur, in quo distinguatur modus a re, nisi in hoc, quod res potest conservari divinitus sine subiecto, vel alia entitate a se distincta realiter; modus autem non potest illo modo separatus conservari, cuius est modus.

16 Ultimo relatio praedicamentalis consistit in actuali exercitio inferendi fundamentum ad terminum; sed modus consistit, in actuali exercitio: ergo relatio est modus, & non res: maior est certa, quia relatio est respectus, ordo, seu referentia fundamenti ad terminum; sed respectus, ordo, seu ordinatio, & referentia sunt actuale exercitium: ergo relatio cuius esse consistit in respectu, seu respicientia, ordine, seu ordinatione, & in referentia consistit in actuali exercitio. Minor illa sic probatur, quia omnis potentia habet suum actuale exercitium; sed posse respicere, posse ordinare, & posse referre sunt potentiae: ergo habent suum actuale exercitium; atqui non potest esse aliud actuale exercitium posse respicere, nisi respicere, seu respicientia, aut respectus, & nullum aliud actuale exercitium potest assignari posse ordinare, nisi ordinatio: ergo ordinatio, referentia, & respectus, seu relatio consistit in actuali exercitio.

17 Vergetur, quia propria, & accommodata ratio productionis modi est per resultantiam, vt videre est in figura, vbi, &c. sed relatio producitur per resultantiam, vt patet ex illo axioma posito fundamento, & termino resultat relatio; ergo relatio est modus.

18 Tandem confirmatur, non est necessarium ad hoc vt exerceat munus relationis, quod consistit in referre, vt sit res: sed solum sufficit vt sit modus; ergo debet esse talis, antecedens sic probatur, quia relatio habet suum esse in actuali exercitio constitutum vt supra probavi, non enim aliud munus habet relatio, vt patet ex Aristotele, nisi habere totum suum esse ad terminum pene recipiendo: ergo habet rationem modi, & rei.

SECTIO III.

Ultima argumenta adversaria solvuntur.

19 Ad locum Divi Thomae Respondeo minime ex verbis Angelici Doctoris posse colligi, si recte intelligantur relationem esse rem; nam relationem ipsam, nunquam dixit esse aliam rem; sed fundamentum nomine rei appellavit, quod nos libenter admittimus, certum enim est fundamentum relationis esse rem distinctam a modo relationis, quod clarissime patet ex illius verbis, quae sic se habent, nam id quod invenitur in creatura, praeter id quod continetur sub significatione nominis relati est alia res, hoc est praeter relationem, vel praeter id quod nomine relationis significamus, quod nihil aliud est quam fundamentum relationis, est alia res a relatione, ac si diceret fundamentum est distincta res a relatione quae modus est.

Ecce quomodo ex loco Divi Thomae male intellecto ab adversariis, ideoque pro se adducto, nostra confirmatur, ac roboratur sententia.

Ad secundum nego maiorem, relatio enim non est accidens reale; sed modus accidentalis, realis, & in hoc sensu concedimus suo modo inherere relationem, seu adherere in fundamento, sicut inest figura quantitati, & vbi praesenti. Deinde negatur illa secunda consequentia, ergo realiter, &c. ad probationem illius nego inexistenciam seu inherenciam accidentis distinguui realiter ab existentia substantiae, nam inherencia est modus, & modus non distinguuitur a re cuius est modus realiter; si autem pro inexistencia accidentis intelligat adversarius existentiam realem accidentis concedo realiter distinguui a substantia, ex quo non sequitur relationem distinguui realiter, quia non habet existentiam realem, sed modalem.

Ad tertium concedo antecedens, & consequens; Deinde negatur consequentia illa: ergo distinguuntur, &c. a principio usque ad finem, falsa est, & vt talis refellitur.

QVÆSTIO IX.

Quid sit relatio vt sic, & quomodo definiatur.

DATA opera in hunc locum remissi definitionem relationis post tota quaestiones agitatae, vt per particulas illius quasi per cristallinas, aut oniechinas crustas non impactu vngue perlabamur, recte enim declaratio essentiae relationis, a recta dictarum quaestionum resolutione pendet, quibus enodatis, enucleatisque, facile enodabitur definitio relationis, quae vel potest sumi vniuersalissime, prout comprehendit relationem praedicamentalem, & transcendentalem, & secundum dici, vel prout solum hoc praedicamentum constituit vniuersalissime sumpta, sic definitur ab Aristotele in hoc praedicamento, & lib. 5. metaphysicae, quae potius ex mente antiquorum Philosophorum, quam ex propria videtur proficisci, & vt ait Averroes ex mente Platonis ad aliquid talia dicuntur quaecunque haec ipsa quae sunt aliorum esse dicuntur, quomodolibet alter ad alterum, id est relativa sunt, quae habent suum esse ad aliud, aut tanquam ad pure terminum, vt pater respicit genitum, aut quomodolibet alter ad alterum, id est non solum vt pure terminum, sed quocunque alio modo ad aliud refertur, sive tanquam ad subiectum, sive tanquam ad obiectum, sive tanquam ad effectum causam, vt accidens dicit ordinem ad aliud tanquam ad subiectum habitus, tanquam ad obiectum creatura ad Deum, tanquam ad causam efficientem a qua producitur.

Item illa particula quomodolibet indicat hic definiti non solum propriam habitudinem; sed etiam connexionem vnius cum altero explicatam per modum relationis, quae quomodocunque relatio dicitur.

Sic definita relatio vniuersaliter dividitur in relationem